INDICEM LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM BERNENSI

INDE

A DIE XV. OCTOBRIS MENSIS MDCCCXXXXIV.

USQUE

AD DIEM XXXI. MARTII MENSIS ANNI MDCCCXXXXV.

HABENDARUM

PROPONIT

RECTOR ET SENATUS.

PRÆMISSA EST

CAROLI GUIL. MÜLLERI,

THURINGI, PHILOSOPHIÆ DOCTORIS, ANTIQUARUM LITTERARUM PROFESSORIS,

DISSERTATIO

DE BRUNONE FLORENTINO,

HISTORICO SÆCULI DECIMI TERTII.

BERNAE,
EX OFFICINA FISCHERIANA.

MDCCCXLIV.

ERRATA,

Ab humanissimo lectore peto, hos errores corrigat, Pag. 24. lin. 6. legendum est *electas*, pag. 10. lin. 20. *dyauble*, pag. 11. lin. 6. *destruxist*, pag. 12. lin. 21. *c'est*, pag 16. lin. 15 *fut*, pag. 22. lin. ult. *qu'il li*, pag 23. lin. 3. *Bretaigne et*, lin. 13. *antre*, lin. 15. *debonaires*. Etiam in adnotationibus nonnulla mutanda sunt. Pag. 2 lin. 3. leg. *significat*, in adnot. 11. *numeris*, in fine adnotat. 16. leg. *infra adnotat*. 26, pag. 6. lin. 22. *persecutions*, pag. 8. lin. 1. *ampereour*, et si qua sunt alia.

Quum mihi ex insperato necessitate quadam ea cura suscipienda esset, ut pro ritu indici lectionum per hibernum semestre spatium in universitate litterarum Bernensi habendarum præfationem adiicerem, et mihi neque satis temporis neque otium concessum esset, ut ex bibliothecæ Bernensis thesauris aliquid promerem, quo veterum scriptorum crisis et interpretatio, vel cognitio historiæ litterariæ antiquæ iuvaretur, optimum mihi visum est de historico disserere, cuius opera abhinc tribus vel quatuor annis forte quadam perlegi paucaque in chartam conieci, quibus eius sentiendi cogitandique ratio describitur. Custodes enim bibliothecæ Taurinensis a me petiverunt, ut sibi de Franco-Gallice scripti codicis 98 bibliothecæ Bernensis argumento exponerem. Quum hoc fecissem, vidi codicem 646 cum hoc priore coniungendum esse, et repetita lectione multa in iis tempori nostro dignissima lectu contineri intellexi. Nam in eorum aliqua parte clara sed horrifica imago armorum invenitur, quibus curia pontificum Romanorum eiusque asseclæ contra vivos et mortuos pugnant. Populum, vel potius animi cultura destitutam plebem stellis cœli perterrefaciunt, oracula fingunt eaque antiqua esse mentiuntur, ut pavore audientes impleant, ossibus defunctorum, quæ sanctorum esse dicunt, utuntur, ut sana mente homines privent et fanaticum errorem exci-

tent, religione, cuius divinus conditor iusta et felicia hominibus precabatur, ad diris adversarios devovendos abutuntur, mortuos denique adversarios calumniis et rumoribus malignis persequuntur. Omnibus his terribilibus armis illa curia eo tempore, quod in foliis infra adiectis describitur, contra iustos adversarios pugnavit. Manfredus, dilectissimus Friderici secundi, imperatoris Romani, filius, a Brunone solo accusatur, quod patrem suffocasset et fere omnes eius posteros veneno vel necasset vel necare voluisset. Non eo contenti erant curiæ pontificum asseclæ, quod eum regno et vita privaverant, ne existimationem secundam quidem ei relinquere voluerunt. Illius temporis memoriam his paginis revocare volui, ut videatis, commilitones humanissimi, fore ut et vera religio et omnis humanitas ex humano genere exstirpetur, si, quod adipisci studet, illa curia assecuta erit. — Præterea fragmenta nonnulla veteris Britonum historiæ adieci, quæ sine dubio ex parte nonnisi figmenta poetarum antiquissimorum sunt, sed satis demonstrant, poeseos vi etiam ea, quæ vix credi possunt, credibilia fieri.

DE BRUNONE FLORENTINO.

Recentiore præcipue tempore ea re multi viri docti optime de litteris meriti sunt, quod monumenta historica collegerunt, collecta crisi adhibita ediderunt. Insigni opera Pertzius monumenta Germaniæ historica publicavit, Belgi eximio studio chronica vetusta composuerunt, Britanni splendidissime veteres historiæ Britonum scriptores, Galli collectionem documentorum historicorum amplissimam, Taurini historiæ patriæ monumenta, alii alias collectiones historicas typis exscribendas curarunt, eoque magnam historiæ cognitioni utilitatem attulerunt. Attamen negari non potest, singula scripta et scriptorum particulas in bibliothecarum scriniis adhuc latere, quæ dignæ sunt, ut in collectiones monumentorum recipiantur; quid, quod singuli scriptores, qui historiam temporum suorum clariore lumine collustrare possunt, ne nomine quidem cogniti sunt. Quorum unus *Bruno Florentinus* est, qui lingua Gallica thesaurum rerum, sive « *tresor de la vaillance des choses* » scripsit, in eoque de omnibus fere rebus egit, quæ æqualibus eius scitu dignæ esse videbantur. Primo enim loco historiam universalem, non prætermissis temporis sui ipsius factis, tractavit, deinde res naturales, ut astronomiam, botanicen et cognitionem lapidum pretiosorum, denique rhetoricen et artem homines gubernandi, quibus tribus principalibus partibus sententiæ, excepta ex scriptis singulorum, de quibus Bruno loquitur, scriptorum et præcepta moralia interposita erant. Huius operis integrum codicem in bibliothecarum catalogis, quos inspexi, invenire non potui, sed in Bernensi bibliotheca duo codices mutili asservantur, quorum prior membraneus 98 in folio, quod dicunt, seu forma binaria, nitide fere sine ullis scripturæ compendiis et litterarum coniunctionibus et contractionibus scriptus [1]) imprimis historica continet, quibus sententiæ, dicta

[1]) Præcipua scripturæ compendia hæc sunt: linea plana vocali imposita consonantem *n* significat et in linearum fine non raro invenitur, v. c. *ancies*=*anciens*, *so*=*son*; quodsi consonanti litteræ imposita est, eam duplicandam esse significat, ut *comandeit*, i. e. *commandeit*. *Q*, cui linea supra scripta est, pro vocabulo *que* ponitur; *p* cum linea plana vel

moralia et ad religionem Christianam pertinentia interposita sunt [2]); alter codex, idem membraneus 646.*, neque nitide, neque a manu bona in octavo, ut dicunt, seu forma octonaria scriptus eas imprimis partes, quæ ad naturæ cognitionem spectant, et nonnulla philosophica et historica continet, quæ partim etiam in priore codice inveniuntur, partim in iis prioris codicis foliis scripta fuisse videntur, quæ interierunt [3]). Præfatio, quæ in priore codice deest, pars gravissi a huius

---

undulata imposita significat *pre,* ut *p̃miers,* i. e. *premiers;* si linea plana litteræ *p* caudam secat, significat *par* vel *per,* ut *ptis=partis, pseus,* i. e. *perseus.* Littera *p,* cui *i* impositum est, significat *pri,* littera *q,* cui idem *i* impositum, *qui.* ' perraro in fine linearum invenitur et significat *us,* v. e. *uen'* i. e. *uenus.* 9 significat *con* et *com,* ut *9selles, 9battirent.* Eæ litteræ, quæ numerorum vice funguntur, semper inter duo puncta positæ sunt, v. c. *a tout* .XXIIj. *cohortes.* Si maior numerus duobus punctis inclusus minori imponitur, toties cogitandus est, quoties minor significat, v. c. $\overset{.M.}{.XX.}$ *chivaliers, plus de* $\overset{.XX.}{.IIIj.}$ *neis,* i. e. 20,000 *chivaliers, plus de* 80 *neis.*

2) Eius partis, quam infra priorem nomino, argumentum hoc est. Tempore Alexandri Macedonis ab historia Judæorum incipit, per formulas quasdam ad historiam Carthaginiensium, Romanorum, Britonum et Gallorum transit et historia Juliani apostatæ finitur. Formulæ, quibus singulæ partes coniunguntur, hæ sunt: *Or uos dirai de Cesar, Or reuanrai, s. reuanrons, s. reuandrons a la matiere des Erbreus, Or reparrai a lai matiere des Romains* et similes. Quæ præcedunt ab historico lectori in memoriam revocantur his et similibus formulis: *Bien auies oit desus. Ainsi s. si con uos uuiez oit desus.* Adhortationes, quas Cato filio scripsisse dicitur, narrationi interpositæ sunt, quatuor paginarum spatium implent et inscribuntur: *Li ancommandemens dou Caton.* Ubi mors Senecæ philosophi narratur, in quinque paginis excerpta ex eius scriptis adiiciuntur. In huius partis (Fol. CCXLI.) fine a bona, sed a præcedenti diversa manu scriptae adhortationes Salemonis leguntur *(Ce sont plusours enseignemens que Sallemons fist a son filz),* quarum prima littera pulcra imagine ornata est. In folio CCXLIIII. gentilium et ecclesiasticorum scriptorum ad mores spectantes sententiæ sequuntur, quæ his verbis inscriptæ sunt: *Comment lai personne se doit humilier et penseir a la mort per pluzours raixon et apres escriptes et diuiseis.* Prima huius quoque partis littera imagine pulcre picta ornata est, in qua mors equo vecta, ambabus manibus hastas vibrat. In averso folio CCXLIIII sententiæ imprimis ex scriptis Terentii, Catonis, Ciceronis, Salustii, Horatii, Juvenalis, Senecæ collectæ sequuntur, quarum prima littera pictura ornata est. Inscriptæ sunt: *Si parlerons de la uertut de prudence ceu est de boin sens et bonnes mours pour gouuerneir la personne selonc deu et selonc raison.* Hæ sententiæ, quæ plures quam sex paginas implent, filio CCXLVII finiuntur.

3) Quæ in codice 98 sub inscriptione *dou nouvel testament* in folio CCXLVIII leguntur hic in folio 11 inveniuntur. Illius codicis caput *de lai meire nostre dame* (Fol. CCXLVIIII), hic nonnullis ab initio mutatis legitur inscriptum *de marie.* Caput prioris codicis inscriptum *de trois marie* (Fol. CCXLVIII.) nonnullis mutatis hic in folio 12 legitur. Caput *des epistres* inscriptum (Fol. CCXLIX.) hic sub titulo *de la loy des x commandement* in folio 15. invenitur. Caput *de lai naissance Jhesu Crist (fol.* CCXXIX.) hic (Fol. 16.) *commen lu nouelle loi commensa,* et caput *de lai croisance de sainte esglise* (Fol. CCL) hic (Fol. 16) *comment sainte eglise essauta* inscriptum est. Caput non inscriptum, quod verbis incipit (Fol. CCL) *or auint si come ploist* hir sub titulo (Fol. 18) *comment li roi de France fust emperere de Rome* legitur. Caput *comment li amperes uint a France* (Fol. CCL) hic (Fol. 19) *comment li empire de Rome reuint as Italiens,* caput *comant l'amperere uint aus Lombairs* (Fol. CCLI) hic (Fol. 19) *de ce meisme,* denique caput (Fol. CCLI) *comant l'amperere uint en Allemaigne* hic (Fol. 20) *comment li empire de Rome deuint as Alemans* inscripta sunt. Secundi codicis caput, quod inscribitur *de saint Jehan baptiste* (Fol. 12) deest in priore codice, ut plurima capita, quibus religionis Christianæ historia tractatur: *de saint Luc euuangelist, de saint Marc euuangelist* cet. In hoc eodem codice post nonnulla ad physicen et astronomiam pertinentia capita, quæ scripta sunt in foliis inde a 25. usque ad 35., historica capita usque ad fol. 45. sequuntur, quorum perpauca in priore codice inveniuntur. Hæ sunt eorum inscriptiones: 1) *Comment Eneus auins en Itale.* 2) *Comment Eneas fut rois en Itale et son fiz apres.* 3) *De la lignie des rois et des roiomes d'Engle,*

codicis est, quum ex ea, quanti totum opus ambitus fuerit, colligere possimus. Omnino vero hic alter codex cum priore comparatus levis et exilis esse reperitur, quippe qui etiam nonnulla, quæ a Brunone in thesauro suo posita esse non videantur, contineat, eoque iudicantes turbare possit.

In priore codice, nº 98, cuius initium, folia 123, interierunt, tres partes historicas distinguere possumus. Prima et gravissima pars inde a folio CXXIIII usque ad CCXLI historiam universalem ab Alexandri Macedonis tempore ad Juliani apostatæ ætatem continens magno cum studio elaborata est, in eaque Bruno eruditionem et doctrinam suam probat et multorum veterum scriptorum imprimis historicorum scripta se legisse testatur. Rerum enim a se narratarum testibus utitur Fabio [4]), Catone [5]), Cicerone [6]), Salustio, Suetonio [7]), Lucano [8]), Justino [9]), Valerio [10]), Eu-

---

ubi de Britannia a Bruto, Silvii filio, occupata scriptor loquitur. 4) *De Romulus et des Romains.* 5) *De la coniuraison Cateline.* 6) *Comment Jule Cesar fut premierement emperere de Rome.* 7) *Del roi de France.* Hoc utrumque caput in priore quoque codice leguntur. 8) *Des choses que furent dedens les tiers eage del siecle.* 9) *Dou quars eage.* 10) *Des choses que furent dedens le quint eage.* 11) *Dou sexaime eage.* His nonnulla capita, in quibus veteris testamenti historia narratur, subiiciuntur: 12) *Dou Dauid le prophete.* 13) *Du roi Salemon.* 14) *De Helye le prophete* et sic porro de reliquis prophetis. Omnia, quæ inde a folio 45. ad finem usque leguntur, ad naturæ cognitionem pertinent, et in prioribus quidém capitibus scriptor de plantis et lapidibus loquitur, quibus Latine scripta pars *de unguentis,* fol. 64. carmen versibus octo syllabarum compositum et inscriptum *Le lapidaire du roi d'Arrabe,* et fol. 73. aliud opus de lapidibus subiicitur, cuius inscriptio est: *Autres lapidaire. Ci liures est translatez de Latin en Romans en pleine consile par lacort des sages clers et traite de plusor perrez naturels et precieuses selonc ce que la bible et dexmeisme en dit, et selonc ce que Salemons et Moyses et li prophetes et saint Jehan li euuangelist en distent et selonc ce que Heraicle et plusors saiges cognoissant.* Non solum de lapidibus sed in fine etiam de rebus mirabilibus scriptor loquitur. Nonnulla certe horum capitum a Brunone scripta esse non videntur, ut carmen de lapidibus et caput de unguentis, fortasse etiam alia. Brunonem capita in thesauro hoc in ordine non posuisse, mihi valde persuasum est.

4) Ipsis Fabii libris Brunonem usum esse verisimile non est, attamen ita loquitur, ac si eos ante oculos habuisset. *Contre ciaus* (li Galois), inquit folio CXXXI. *fut anuoiez Lucius Emilius et Antilius Wiso. En l'ost des Romains ot bien* 500,000 *homes armes portans, si con tesmoigne Fabius li istoriens, ki fut presens an l'ost.*

5) Scriptor ex Catonis libro de moribus excerpta dat, quæ duo folia (CCVI et CCVII.) implent.

6) Uno tantum loco, fol. CCX. advers., Cicero testis citatur.

7) Hoc teste, quem *Seutoines, Seintones, Centoines, Setoines* et *Cetoines* nominat, præcipue in Cæsaris, sed etiam in reliquorum imperatorum Romanorum historia utitur.

8) Ex Lucani carmine multa in bellorum civilium descriptione testimonia citantur, et fol. CLXXXX advers. longior narratio apponitur.

9) Tribus locis citatur, quorum duo accurate Justini narrationi respondent. (Fol. CXXXVII avers.: *Justius tesmoigne, ke li Sordicieins et li Galois Istrieins et li Dacieins furent ausi an s'aide.* Cf. Justin. 32, 3. Fol. CXLII. avers.: *Un ior auint se dist Justius, ke cil d'Antioche rebellerent contre lui. Si lour aidout Tholomeus Filometor, li rois d'Egypte, et Arcalus, li rois d'Aise lai menor, et Atares de Capadoce.* Cf. Justin. 35, 1. 6.) in tertio alia, quam Justinus narrat. (Fol. CXXVI. adv.: *De coi Justius raconte, ke cil Brenius* (Brennus) *ansi fut desconfis deuant Delfes, cant il fut antriez an Gresse, k'il laissait* XV *mille homes a piet et* III *mille a chiual.* Cf. Justin. 24, 8.)

10) Quæ testimonia citat omnia accurate verbis Valerii Maximi respondent; uno loco (Fol. CLIX adv.) videri possit exemplari huius scriptoris usus esse, quod pluribus libris constabat, nam *Valerius dist,* inquit, *an son onzieme liure, ke trop fut Sila de destrampee irour, car il dist, ke apres ceu, ki il ot ses anemins chassiez de Rome,*

tropio [11]), Macrobio [12]), Oroso [13]) et Horoso [14]), porro historiam Romanam [15]), historicos quosdam [16]) et poëtam [17]), quorum nomina propria non apposita sunt, profert, deinde Josephi [18]), Augustini [19]), Eusebii [20]), Hieronymi [21]), libri regum, libri Maccabæorum [22]), historiæ biblicæ et evangelicæ [23]) auctoritatibus utitur, Friconem [24]) denique,

---

et il ot restaublies les digneteis, ke li decurieins del Capitole li auoit dit, ke Ganius li douoit d eliurer grant pecune a Capitoile cil i aloit cet., in adseribendo tamen libri numero lapsus est, nam Valerius hæc in libri IX. cap. 3. §. 8. narrat.

11) Sæpissime huius seriptoris testimonia pro numeris, nonnunquam etiam pro rebus narratis profert.

12) Si recte memini, nonnisi uno loco hunc testem citat, ubi de Carthagine deleta loquitur; Fol. CXXXIX adv. enim *Ansi*, inquit, *fut destruite la noble citeit de Carthaige, kant elle ot dureit VII cent ans au tesmoing de Macrobe et Orose.*

13) Huius omnium sæpissime scriptoris, quem fol. CLVII avers. *Li boins clers* nominat, testimoniis utitur, ut omnes medii ævi historici.

14) Hunc mihi incognitum scriptorem unico loco cum Orosio coniunctum testem profert, Fol, CCIIII avers., ubi *Horosus et Oroses dient*, inquit, *que tantost com Tholomeus fut deliures, il fut ses gens armeir et allait asaillir Cesar par terre et par meir.*

15) In historia imperatorum Romanorum tribus fere locis eam citat, ut Fol. CCXXXIX adv. *L'istoire Romaine tesmoigne, ke mout aparurent an lui* (in Constantino magno) *de grans vertu*, cet.

16) Duobus locis hos testes profert, quorum alter probat Brunonem non solum criticum non fuisse, sed etiam ea pro veris habuisse, quæ nemo sana mente præditus probare potest. Narrat enim, quomodo Vespasianus Veronicæ sudario morbo liberatus sit et pergit: *Kant il fut guris, il antandit bien, coment nostres sires ot esteit mal meneis par les Juys a lour grant tort, et por ceu uout ceste chose uangier, si anuoiait Titus son fil et cil an doneit XXX a donier* (denier), *por ceu que nostres sires auoit esteit uundus XXX doniers. Ansi dient aucunes istoires, ke par ceste raison furent destruit les Juys et aucunes par les raison, ke nos deimes deuant.* Cf. infra adnotat. 46.

17) Fol. CCXXVIII adv.: *Dont li poete dist uer de lui: Nec uita dignus, nec morte Vitellius.*

18) Josephi, qui hic *Josafas, Josefes, Josuphes, Jesipus* et cet. nominatur, testimoniis præcipue in historia terrarum orientalium utitur et nonnunquam librum, ex quo hauserit, nominat, ut Fol. CCXV avers. *el XLVI ime liure des antiquites*, Fol. CCXXII advers. *en son septisme liure.*

19) In historia Romana narranda quatuor locis testimonia de civitate dei *(liure de la citeit deu)* profert.

20) Eusebius non raro et pro annis, quibus res narratæ acciderint, testis profertur et pro rebus narratis ipsis.

21) Ex Hieronymi commentariis in librum Danielis sæpe narrationes afferuntur, nonnunquam etiam ex aliis eius scriptis, ut fol. CCXL avers. *Geromes*, inquit Bruno, *qui apres Eusebe continue les istoires abrege, dist que Constance fut deceus de lai droite fois pour cians ki antour lui estoient. Dont il auint, ke par l'amour ke il auoit a prestre Aurius, lo bougre, il fut fauorables a aus et a lour partie, par coi il fist uleir an exil Athanase, lou boin patriarche d'Alixandre, et toz les autres esueskes, qui n'estoient de la partie Aurius* (Arius).

22) Liber regum et Maccabæorum (Fol. CXXXVII avers.) nonnisi semel citantur, et prior quidem propter nomen quoddam (Fol. CLXVIII avers.)

23) Historia biblica (*estoire* sive *histoire sor Bible*) bis, evangelica ter et evangelium Joannis semel citantur.

24) Ex Friconis, mihi incogniti scriptoris, libris duæ narrationes in bellorum civilium inter Cæsarem et Pompeium historia proponuntur Fol. CLXXX adv. *(Fricons dist, que quant Pompees et li senatour uirent, que la chiualerie et la force crexoit chacun ior a Cesar de toutes pairs, il orent si grant paour, qu'il uenderent tout Italie et paserent an Grese a nauie)* et Fol. CC avers. *(Oroses, Fricons, Richairs et Eutrope dient, que Pompee ot a comansement de la bataille III eschieles. Si auoit an chacune XL mille homes a piet et DC a cheual sans les aides d'Orrant et sans les senatours et consellles.)*

Richardum [25]) et scriptorem quendam *Huwes de Flon* [26]) testes citat. In Jugurthino et Catilinario bellis describendis vestigia Salustii solius sequitur et orationes, quas Salustius narrationi interponit, fere ad verbum transfert [27]). His allatis testibus colligere possumus, Brunonem historiam veram et incorruptam narrare velle et fontes rerum, quas memoriæ prodidit, adiisse ; sed ne nimium honorem ei tribuamus, fere nusquam controversas narrationes profert, neque ullo loco crisin historicam cum ratione adhibet [28]). Qua de causa in parte, qua historiam temporum post Christum natum narrat, multas ad religionem spectantes fabulas intermiscet [29]), ordinem factorum non semper respicit [30]) et nonnunquam partium studio commotus ita ira incenditur, ut verborum contumelias in adversarios iactet. [31])

Hæc tota pars prorsus ab eadem manu scripta est atque folium CCLII usque ad CCLV, quæ Friderici secundi, Romani imperatoris, eiusque posterorum historiam continent. Iisdem verbis hic quoque ad novas narrationes transitus paratur et filum orationis abrumpitur atque annectitur [32]), quibus hoc in priore parte factum est.

---

25) Richardus Pictavensis intelligendus esse videtur, cuius annalium librorum exemplar manuscriptum in bibliotheca Bernensi (nr. 515) asservatur ; qui quum historiam belli contra Mediolanenses anno 1161 gesti in fine operis sui narret, certum est, eum post secundam sæculi duodecimi partem vixissse. Cf. adnot. 24.

26) Hunc mihi incognitum scriptorem in historia Hierosolymorum dirutionis nominat fol. CCXXVIII adv. : *Li Romain*, inquit, *ne dignoient auoir cers Juysiaus* (i. e. servi qui Judæi essent) *et poauoit remeis de Juys on pais, ki lour gens peuxent ruichetier, et por ceu an firent li Romain si grant marchiet, k'il donerent XXX a denier, Huwes de Flon tesmoignet.* Cf. supra adnot. 16.

27) Sæpe inde a folio CXLVIII usque ad CLXVI testis citatur, et fol. CXLVIII advers. *Salustes*, inquit Bruno, *qui plusours fois auoit esteit maistres de la chiualerie Romainne, fist un liure des batailles, ke Jugurthes ot uers les Romains et raconte comant il uint auant en signorie et dist, ke kant Cipio ot destruite Carthaige et Afrike sousmize de Rome, k'il trouait si grant fois et si grant aide en Masinissa, lou roi de Numidie, ke li senas li otriait toute la conkeste, si con uos aueis oit desus.*

28) Cf. quæ supra adnotat. 16. adscripta sunt.

29) Narrat fabulas de disputatione inter Petrum et magum Simonem (Fol. CCXXVI), de vera cruce reperta (Fol. CCXXXVIII), de sudario Veronicæ (cf. adnot. 16.), de multis aliis reliquiis, quæ nominantur, sed ne uno quidem verbo de Servatoris nostri pallio mentionem facit, quo his ipsis diebus ii, qui magis res viles, quam verum Deum venerantur, non minores turbas excitaverunt, quam ante hæc tria sæcula Tetzelius vendita peccatorum absolutione.

30) Dicit v. c. Terentium tempore Augusti vixisse fol. CCXVIII. adv. lin. 38. — Eo, quod in historia Romana Turcorum mentionem facit et Pilatum Saracenum nominat, genus loquendi scriptorum illius ætatis sequitur ; nam Parthi ab iis non raro Turci nominantur, et Bruno ipse vero eorum nomine utitur fol. CCXVI adv. lin. 10 *(cil de pairthe, ke nos uppelons ores Turs).* Saraceni vero ab illius ævi scriptoribus quicunque Judæorum et Christianorum fidei non addicti sunt, nominantur. Annalium Guilielmi de Nangiaco (Codex Bernens. n° 323) primum caput inscriptum est : *Chi comencent les croniqes de tos les roys de France Chrestiens et Sarrasins.*

31) Fol. CCIX. advers. lin. 15. *larous Auriein* (Arius). Cf. supra adnotat. 21.

32) Transitus ad aliam narrationem his formulis paratur : fol. CCLIIII avers. lin. 11 : *Or dist li contes;* fol. CCLII advers. lin. 29. *Or dist li conte, et li registres de sainte esglyse ;* ibid. lin. 13. *Or dient li maistre, ke la coro-*

2

sed quum scriptor non præteriti sed sui temporis historiam describat, aut nulla aut non gravia testimonia affert et semel ad se ipsum provocat [33]) Multis præterea rebus hic scriptor suam cogitandi sentiendique rationem exprimit et fere claris verbis significat, se a Guelforum partibus stare omnesque Gibellinos odio persequi. Iniustissimos igitur et nullo iure fulcitos pontificum Romanorum conatus tanquam iustos laudat et de religione violata conqueritur, ubi Fridericus non contra religionem, sed contra pontifices et ecclesiam Romanam pugnat. Quam partem, quum non pauca ad historiam Hohenstauforum cognoscendam conferat et nonnullas res contineat, quæ apud alios historicos frustra quærantur, infra typis describendam curavi [34])

Superest tertia codicis historica pars, id est folium CCXLVIII usque ad CCLI, quæ ab eadem qua reliqua manu, sed litteris minoribus scripta esse videtur. De primo imperatore Romano, de Julio Cæsare, de regibus Francorum, de historia, quæ in novo testamento narratur, scriptor hic loquitur; quomodo ecclesia Christiana fundata sit, et imperium ad Francos, Lombardos et Allemannos pervenerit, refert et pauca de officiis principum electorum adiicit. Eodem sed breviore narrandi genere historicus utitur, iisdem fere verbis narrationis filum abrumpit et annectit lectoremque ad prius narrata remittit, quibus hæc in prima et secunda parte facta sunt, Præterea scriptor, qui hic tandem nomen suum profitetur, seque Brunonem Florentinum nominat [35]), eodem odio in Gibellinos incensus est, eodemque modo eos criminatur, quod ecclesiam Christianam violarent, quum nonnisi ea, quæ pontifices nullo iure postulassent, negarent.

---

nike firent et kil mistrent en escrit les istoires de cel tans; fol. CCLII. avers. lin. 17. *J'ai soit ceu k'il fist maintes persecutisions* et similibus. Ea, quæ præcedunt, lectori in memoriam revocantur his verbis: *de cui li contes ait parleit, de cui li contes parolle sai en arriere, selonc ceu ke li contes ait deuiseit en arriere*, sive *deuiseit si deuant.*

33) Varia, sed non gravia pro rebus narratis testimonia affert, ut fol. CCLII. adv. lin. 18. *li maistre, ke la coronike firent;* ibid. 29.: *li contes et li registres de sainte esglise.* Ubi de Hohenstauforum interitu loquitur, Merlini vel Sibyllæ auctoritate utitur fol. CCLII. avers. lin. 22. *(Et ce Merlins ou lai Sebile dient ueriteit ou trueue en lour liures que en cestui* (Friderico II.) *doit defineir li emperolle dignetei.)* et astronomicos testes citat, ubi quid cometa aliquis significet, narrat (Fol. CCLIIII. avers. lin. 31. *De celle estoile dient li saiges estronomieins, ke kant* cet.) Semel ad suum ipsius testimonium provocat (Fol. CCLIII. adv. lin. 39.), ubi de Guelfis ex Florentia expulsis narrat.

34) Huic historicæ parti usque ad fol. CCLXXVI. ethica ex variis scriptoribus classicis et ecclesiasticis collecta et nonnulla, quæ ad fabulas Christianæ religionis pertinent, ut colloquium St. Bernardi et Mariæ virginis, subiiciuntur. In duobus novissimis foliis, a recentiore manu scriptis, de absolutione peccatorum agitur.

35) In codice 98 lapsu quodam scribæ non *Brunet* sed *Brumet* nominatur, in secundo vero codice et in inscriptione *(Cil commence li liure dou tresor lequel maistre Brunnez Latis de Florance translata de Latin en Romans de la uaillance de choses.)* et in folio 20. avers. *(Et auuec lors fust chacier maistre Brunnes* cet.) *Brunnes* i. e, Bruno nominatur. Sinnerus (T. II. p. 20.) opinatur, Brunonem *Latinum* ea voce in secundo codice nominari,

Duabus igitur partibus historia universalis Brunonis constare videtur, in quarum altera, quæ usque ad Juliani apostatæ tempora evenerint, narrantur, altera a C. Julio Cæsare incipiens dissensiones imperatorum et pontificum usque ad Hohenstauforum interitum breviter persequitur, eaque re J. R. Sinnerus in eam inductus est opinionem, pagina CCXLVIII aliud opus incipere. Attamen quæ a pagina inde CCXLVIII leguntur, neque aliud opus sunt, neque historiæ Brunonis pars, quæ a reliquis segreganda est, quum in primo, secundo et tertio capite scriptor lectores ad praecedentem copiosiorem earum rerum, quarum mentionem hic tantum facit, remittat [36]), et coniicere liceat, totam operis descriptionem hanc materiarum distributionem postulasse. Post tempora enim Juliani ei imprimis dissensio inter imperatores et pontifices orta memorabilis videbatur, quam ut dilucidius exponeret, ex altera parte a C. Julio Cæsare incipiens, quomodo imperium ad Francos venerit, breviter narrat, et ibi tantum, ubi de imperio Lombardorum et Allemannorum loquitur, copiosius res exponit [37]), ex altera parte ad historiam rerum in novo testamento narratarum annectit, quomodo ecclesia Christiana fundata sit, deinde principalem rem, dissensionem inter imperium et ecclesiam i. e. pontifices ortam, narrat. Propter dissensiones igitur suo tempore ortas duo præteritorum temporum Brunoni memorabilia esse videntur, imperium et ecclesia, eorumque historiam in hac parte continuo refert. Ex his clarum mihi esse videtur, quomodo Sinnerus, qui non satis attente hunc codicem legit, in eam incidere potuit opinionem, duo diversa opera in eodem volumine esse coniuncta; sed clarum etiam esse videtur, eum errasse.

---

quæ post eius nomen posita est; sed non solum non satis aptum esset, Brunonem Florentiæ natum Latinum nominari, sed etiam litterarum illarum ductus non *latins*, sed *latiers*, vel *lateris* significant. Num Bruno legatus *a latere* erat?

36) In primo huius partis capite earum, quæ præcedunt, rerum mentionem facit his verbis (Fol. CCXLVIII adv. lin. 9.): *pour ce, que li Romains ne pooient auoir rois selonc les establissemans, qui furent fais a tans Tarquinius, de qui li contes ait parleit si deuant, il se fist appelleir ampereres.* In secundi capitis fine lector his verbis ad præcedentem ampliorem narrationem, qua exponitur, quomodo Christus mortem subierit (Fol. CXIX adv.), remittitur; (Fol. CCXLVIII. adv. lin. 19) *or plus ains dirai* (li contes) *dou nouel aige dou siecle, dont il s'est longuemant tassies;* in tertio denique capite de parte, in qua de vetere testamento egerat, commemorat. Hæc pars in codice 98. quidem deest, sed multæ ad eam pertinentes particulæ in altero codice inveniuntur (cf. adnot. 3.) *Apres ceu,* inquit Bruno, *que li contes ait dit de lai uieille loi, il est boins drois, que il die de lai nouelle, qui comansait lorsque Jhesu Crist uint an terre por nos rachetier; mais auant qu'il dieit autre chose, diuiserait il son lignaige et de son paranteit, et deuiserait il de chacun des deciples ansi come il ait dit des peires dou premiers testament.*

37) Vide hanc partem ipsam ad specimen primum additam.

Codex 98 sæculo decimo tertio scriptus est. Genus dicendi et formæ vocabulorum nondum satis firmatæ sunt, ut nonnunquam in unius paginæ spatio idem vocabulum tribus vel quatuor modis scribatur, imo vocabulum *empereour* [38]) septem variis formis inveniatur. Litteræ, quæ similem sonum habent, sæpe commutantur, [39]) et multæ vocabulorum formæ adsunt, quæ Latinis et recentiorum Italorum vocibus quam recentioribus Franco-Gallicis similiores sunt. [40]) Signis, quæ sententiis discernendis inserviunt, perraro scriba utitur et fere nonnisi puncto. In codice 646 contra perraro aliæ verborum formæ, quam quibus nunc Franco-Galli utuntur, inveniuntur, multa in eo sunt scripturæ compendia, non pauca per notas scribuntur, et interpungendi signa sæpe ad regulam ponuntur. Hic codex sæculo decimo quarto exeunte scriptus esse videtur.

Perpauca de auctore *thesauri* eiusque fatis adiicere liceat. Eo tempore, quo Fridericus II. contra pontificum Romanorum potentiam pugnabat, vixit et adhuc in vivis fuit, quum Conradinus securi percutiebatur. Florentiæ natus esse videtur, in eaque urbe usque ad annum 1247 commoratus est, quo Guelfi a Gibellinis ex ea expellebantur; deinde in Galliam se contulit ibique longum tempus remanens thesaurum suum scripsit. [41]) Hæc sunt, quæ de eius fatis constant, neque apud ullum

---

38) Quas adnotavi formas, hæ sunt: *emperour*, *empereour*, *emperere*, *empereires*, *imperour*, *ampereonr*, *amperere*; sed sine dubio etiam *imperere* et aliæ inveniuntur.

36) *C* et *s* sæpe commutantur, et *ce* ponitur pro *ce*, *se*, *ses*, *son*; *ces* pro *ses* et *son*; *celonc*, *cirie*, *ciseron* et *siceron*, *Santurion* pro *selonc*, *Syrie*, *Ciceron*, *centurion*. *Z* sæpe loco litteræ *s* imprimis in pluralis declinatione invenitur, ut *pizo* = *Piso*, *toz*, *li chiualz*, *keilz*, *malz*; *x* pro *s* vel *ss* ponitur, ut *xuir*, *pluxours*, *soupexon*, *coniurexon*, *naixent*, *soixit*, *dixoient*. *K* sæpe ad sonum significandum adhibetur, qui nunc litteris *qu* exprimitur, ut *ke*, *ki*, *kant*, *keil*, *aueckes* et *aueck*, et scriptor vel scriba sæpe litteris *w* et *y* utitur, ut *loweir* pro *louer*, *prowesses*, *pawillons*, *clameroient powerous et cawars*, *ygal*, *cytoiein*, *layde* pro *l'aide*, *ysaurieins*, *ytale*. Præterea *li* sæpe pro *le*, *la*, *les*, *lou* pro *le* et *la*, *dou* pro *du*, *el* nonnunquam pro *le*, *del* pro *du*, *as*, *aus*, *ciaus*, *diaus* pro *aux*, *eux*, *ceux*, *d'eux* ponuntur. Verba sæpe ea re difficilia sunt intellectu, quod litteræ eorum non recte coniunguntur vel divelluntur, ut *la postoile* pro *l'apostoile* i. e. *l'apotre*, *de gypte* pro *d'Egypte*.

40) Dicit v. c. sæpe *poc*, *loc*, *deu* pro *peu*, *leu* sive *lieu*, *dieu*, quibuscum vocabulis coniungenda sunt vv. *plusours*, *millor*, *signor*, *menour*, *honour*, *lour*, *iones*. Participium præteriti temporis et passivi sæpe exit in *—eit*, *—ei*, *—eis* pro *—é*, *—es*, ut *alleit*, *esteit*, *armeit*, *coniureit*.

41) In Gallia se hunc librum scripsisse, ipse in præfatione operis dicit (Cod. 646. fol. 1. avers: *Ce aucuns demandoit por quoi cil liure est escris en Roman selonc le patois de France, puisque nos somez Italien; ie diroie que ce est por II roisons; l'une, que nos somez en France, l'autre por ce que la parleure est delitable et plus comune a tos languages*) et in eo capite, quod inscribitur: *Comant l'amperere uint an Allemaigne* (Cod. 98. fol. CCLI: *et si estoit il par celle guerre elizes* (i. e. exilé) *an France quant il fist cest liure par l'amor de son ami selonc ce qu'il dist ou prologue druant.*) Præterea liber non ex lingua Latina in Gallicam translatus est, quod in inscriptione secundi codicis (646.) dicitur, sed ex variorum scriptorum operibus collectus et ab initio Gallice scriptus, ut loca supra adscripta et alia verba præfationis satis testantur: *Et si ne di ie pas, que li liure soit estrais de mon poure sens, ne de ma meime science; mais il est ansi come une breche de miel coillie de diuerses*

scriptorem, quem inspexi, plura de eo invenire potui, ne apud Joannem Villanum quidem, qui in annalibus Florentinis multus est in bellis civilibus Florentinorum a partibus Gibellinorum et Guelforum excitatis describendis, [42]) et multas Florentinas gentes nominat, quæ illorum bellorum consortes erant. A Philippo quidem Villano [43]) Bruno quidam Florentinus, auctor artis rhetoricæ, nominatur, qui quum triginta annos natus MCCCXLVIII anno post Christum mortuus sit, [44]), centum annos post nostrum Brunonem Florentinum vixit. J. R. Sinnerus [45]) in ea est opinione, Brunonem nostrum eundem esse atque Brunellum, auctorem carminis elegiaci *de ordinibus religiosis* [46]), quem exeunte sæculo decimo secundo vel initio decimi tertii vixisse verisimile est. Quam coniecturam, quamvis veritatis speciem habeat, tamen falsam esse demonstrari potest, nam Brunellus de ordinibus religiosis ea narrat [47]), quæ Bruno, defensor acerrimus pontificum et ecclesiæ, nunquam dicturus fuisset, neque Bruno Florentinus in carmine Latino Germanicis vocibus usus fuisset, quod Brunellus, qui Germanus est, uno in versu faciebat [48]). Quamvis igitur Bruno Florentinus doctrina excelluerit et amplum opus scripserit, tamen nullus scriptor eius mentionem facere videtur, et ea tantum de eo constant, quæ ipse narrat.

---

flors. quar cil liure est compiles soulement de meruellous dis des auctours, qui deuant nostre tans ont traite de philosophie chaiscuns selonc ce que il en sauait partie. quar tote ne la puet sauoir nuns hons terriens, por ce que philosophie est la racine de cui croissent totes les sciences, qui on puet sauoir.

42) *Croniche di messer Giouanni Villani, cittadino Florentino, libro VI. cap. XXXIII.* Imprimis quæ pag. 48. dicit, huc pertinent: *Allhora non potendo piu resistere alla forza di Ghibellini, si abbandonarono la difesa, et forza, et partironsi della citta la notte di santa Maria Candellaia, li anni di Christo MCCXLVIII. Cacciata la parte Guelfa di Firenze i nobili di quella parte alquanti se ne ridussono nel castello di monte Vare chi in val d'Arno, et parte nel castello di Capraia* etc. Bruno ipse dicit, Guelfos Florentia expulsos esse « *lou ior de lai chandelonr en l'an de l'incarnation .M. CC. XLVII.* »

43) *Filippo Villano vite d'illustr. Fiorent.* p. 50.

44) *Filippo Villano.* l. l.

45) Catalog. codic. Mss. bibl. Bern. T. 3. p. 21.

46) Typis hoc carmen exscriptum in « *veterum scriptorum et monumentorum collectione* T. IV. pag. 1. sqq.) quam Martene et Durand ediderunt.

47) Pag. 10. hoc modo virginum monacharum laudem prædicat:

Corpore serpentes, sirenes voce, dracones
- Pectore, Susanna smigmata, corde pares.
Sed tamen illud habent, quod cuncta errata refellit,
Ante Deum lacrimas, quæ sine lege fluunt.
His Dominum placant semper veniamque merentur,
His sua cuncta lavant crimina, quicquid agunt.

48) Dicit enim Brunellus pag. 4.: *Carnibus absumtis vestigia nulla videbis, ne clament: Her, her, ossa sepulta iacent.* Editores putant voc. *her* Germanicam vocem esse, quæ significet *domine*; mihi secundum sententiarum nexum *her, her,* non *domine, domine,* sed *hic,* sive *hoc loco* significare videtur, ita ut *her* positum sit pro Germanico vocabulo *hier.*

SPECIMEN PRIMUM.

Friderici II., Romanorum imperatoris, et eius filiorum historia. *)

Comant Bairengiers et Aubers ses filz furent li dairiens emperours de Rome des Lombars. **)

En teil maniere, con ie uos ai dit, furent Bairengiers et Aubers ses filz li dairiens emperours de Rome des Lombairs. Et sachiez, ke cestui Bairengiers fut coroneis en l'an de graice DCCCCXL, et regnerent entre lui et Aubert son fils XI ans. Celui Aubert auoit un fil clerc, qui auoit non Octeuian. Il porchassai tant auec les grans maistres, ke lors estoient, ke apres la mort Agapite, ke lors fut pape, ke Octeuian ses filz fut fais apostoiles et fut appelleis Jehans. Or dient li maistre, ke la coronike firent et kil mistrent en escrit les ystoires de cel tans, ke Bairengiers fut mauais tyrans et crueilz a deu et a monde, et k'il prist une grant dame, ki estoit feme lou tiers emperour deuant li. Il lou prist et gardoit en chartre et faixoit toutes les dyaublies et toutes les crualtez. Aubert ses freires faisoit d'autre part tous les malz, k'il onkes pout; et ke Jehans ses filz apostoiles, ki asseis estoit pires, ke ses peires n'estoit, ne ke ses oncles, et ke il furent maistres et signours de sainte esglyse et de pairt lou siecle lors crut mal sor mal et crualteit sor crualteit.

De lai maluistiet 49) Bairengier.

Or dist li contes et li registres de sainte esglyse, qui lou tesmoignent por lai mauistiet Bairengier, li proudomes de sainte esglyse et dou comun de Rome et dou pais tot enuiron manderent a Octeuian de Sessoigne, ki estoit rois d'Allemaigne, k'il les uenist aidier ancontre cel dyanble. Dont uint il pouxanment en Itaille venkit Bairengier et lou chassait fuers de la terre et ostait de prison lai ueue dame, de cui li contes ait pairleit si deuant, et prist a feme et puis il a (?) Bairengier et li randit Lombardie trestoute se ce ne fust la mairche de Truisse

---

*) Non meum esse putavi adnotationes historicas huic narrationi adiicere, vel lectori opus Raumeri de Hohenstaufis in memoriam revocare. — Quisque harum rerum gnarus videbit, ubi Brunonis narratio ab iis recedit, quæ Raumerus, aliis historiæ fontibus usus, memoriæ prodidit. — Omnino verba Brunonis fideliter exscribenda curavi, interposui tamen signa, quæ sententiis discernendis inserviunt, et apostrophos.

**) Fol. CCLII. advers. codicis 98.

49) Hoc vocabulum, quod infra *mauistiet*, alias *mauuaistie* et *mauuaitie* scribitur, malam naturam et consuetudinem alicuius hominis, rei, vel facti significat. Sed hæc sine dubio nota sunt; manum igitur de tabula.

et de Veronne et d'Aquillee, ke il ne li randit; et ansi s'an ralait en Allemaigne et regnait longement en grant pooir. Or auint, ke Bairengiers et Aubert faisoient mal et pis ke deuant, et li apostoiles Jehans tenoit les femes apertement et faisoit ceu, k'il uoloit, ne mies ceu, k'il douoit, por laikeil chose aucuns de chardenalz et des proudomes de Rome enuoierent priueement a Otte meismes, qu'il uenist aidier sainte esglyse et preist lou gouernement de lai terre et de l'empire ansois ke il les destuxist del tout. Et kant il oit ceu, il se mist a la uoie et uint en Lombardie et en Toskainne et entrait en Rome et fut receus honoraublement par tout, et fut coroneis et empereires de Rome en l'an de nostre signour DCCCCLV et regnait XII ans et fut li premiers neis d'Allemaigne et maintes fois reuint a Rome por les biens de l'une terre et de l'autre. Por ceu ke li apostoiles Jehans ne uolait laissier le malz et retorneir a bonne uie, fut il deposeis par lai uolentei de clergie et de tous autres de sai digneteit, et fut esleus uns autres, ki ot a nom Lyon. Cestui apostoile estaublit par lou malice des Romains, ke pape ne peust estre fais, ne esleus sans l'assentement del empereour. Or auint une fois ki Ottes li empereires uint en Allemaigne, et li Romains par lour malice eslurent un autre pape, ki auoit non Benoit, et Lyons fut geteis de son office. Ensi estoient a celui tens trois apostoiles, c'est a sauoir Jehan, Lyon et Benoit; mais Benoit ne tint mies lai chaieire plus de trois mois, que li empereires reuint et asseiait lai citeit de Rome a tout son ost, tant ke lan li rendit lai uille et la terre, et ke Lyons refut mis an sai digneteit, et apaixait lai uille et les gens, et s'an rallait an Allemaigne et amenait auec lui Benoit lou pape en sai besoigne, ou il morut, et l'autre pape Jehan se morut et trapassait de cest ciecle sans confession et sans repentance. Et li empereires ot un fil de sa feme, ke autresi ot a non Ottes et fut empereires apres lui en l'an de graice DCCCCLXVIIII ans et fut proudons et uaillans et fist bones euures et ot a feme lai fille l'empereour de Costentinople, en qui il aniandrait un enfant, ki ot non autresi Ottes li tiers et fut coroneis a empereour par les mains dou sinquime Grigoire pape en l'an de l'incarnation Jhesu Crist DCCCCLXXXIX et tint lai terre et l'empire bien et uaillanment. J'ai soit ceu, k'il fist maintes persecusions contre les Romains, pues trapassait del siecle glorious et benoit si com il plot a deu. Apres fut esleut Fedric. Cestui Fedric fut uaillans hons et tint les Lombars en mout grand destresse et destruit lai cyteit de Mielant et lai fist lai terre et aireir et semeir de seil, et ot guerre a l'apostoile Innocent, lou tiers, et lou chassoit de Rome. Et li apostoiles et ses freires furent iuscai Uenisse, et lai les asseiait li empereires et affamait lai uille de Uenixe en teil maniere, ke les cytain uindrent a l'apostoile et li distrent, qu'il uoloient muez, qu'il alaixent fuers de lai uille, ke il morissent de fam. Et li apostoiles et ses freires se reuestirent des armes de sainte esglyse et se mistrent en un bac et alerent a l'ost l'empereour. Et kant li empereires les uit si s'an uint tout erranment a l'apostoile a merci et se rendit et se mist a ses pies. Et li apostoiles i mist ses pies desus sai goule et dist: *Super aspidem et basilicum ambulabis et conculcabis leonem et draconem.* Et li empereires li dist et respondit: *Non tu sed Christus*; et ie suis son uikaire, dist li apostoiles, et lai li comandait li apostoiles, k'il alaist en lai terre sainte por son meffait, et lai alait il par terre et cheit de son chival en une petite riuiere et lai deuiait il.

De l'empereour Henri.

Apres ceu fut esleus a roi et ai empereor Henri en l'an de graice MCCIII, et puis qu'il fut deuieis fut esleus Ottes a duc de Saisoigne et ot guerre a sainte esglise et se combaitit a Phelippe roi de France et fut desconfis, et puis fut deposeis par sainte esglise. Et puis fut li secons Fedris, ki fut filz l'empereour Henri et ai l'empereis Costance, ke autresi estoit roine de Sezile et de Puile de pairt son peire, ki rois en fut. Cestui Fedri fut coroneis par les mains Honorei pape en l'an de graice MCCXXX. Et saichiez, ke deuant cestui Fedric Honore pape auaient estoit LII apostoiles des Jehan, des ki li contes parolle a lai fin des Lombairs, et dou premier empereour de Rome, ce fut Cesar, ki auoit esteit iuscai Fedric LXXXXV empereours sans plus. Et ce Merlins ou lai Sebile dient ueriteit on trueue en lour liures, qui en cestui doit defineir li emparolle dignetei; mais ie ne sai se c'est de son lignaige soulement, ou des Allemans, ou se ce dist de tous comunalment.

De la hautesse Fedric.

